



# Disputatio juridica inauguralis de societate

<https://hdl.handle.net/1874/342824>

13

Q. D. B. V.  
DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
SOCIETATE,

QUAM,  
FAVENTE DEO TER OPT. MAX.  
*Ex auctoritate Magnifici Rectoris,*  
D. JOHANNIS MUNNICKS,

Reip. Ultrajectinae Poliatri, atque in inclytâ ejusdem Academiâ  
Medicinæ, Anatomes & Botanices Antecessoris Ordinarii,  
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academici consensu & Alma  
Facultatis JURIDICÆ Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,  
Summisque in UTROQUE JURE Honoribus  
& Privilegiis ritè consequendis,

*Eruditorum examini subicit*

PETRUS LAMMENS, Axellâ Flandrus.

*Ad diem 20. Junii, horâ locoque solitis.*



TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinâ FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi Ordinarii, cło Ibc Lxxxv.

*Amplissimo, reverendoque VIRO*

D. D. ADRIANO LAMMENS, civitatis Axellæ Consuli prudentissimo, illustr: ac præpot. ordinum Zelandiæ in eâdem ditione tributorum tum ordinariorum tum eorum quæ extra ordinem Imponuntur quæstori vigilantissimo, parenti suo amantissimo, in æternum filiali amore, ac omni observantiæ cultu colendo, honorando.

NEC NON

*Natalium & virtutum splendore Nobilissimo*

Honorum luce conspicuo & illustri VIRO

D. D. DAVID vander NISSE, Domino de Nisse, Waerde &c. in illustrium DD. ordinum & Architalassicorum collegio quod in Zelandiâ est deputato ordinario.

UT ET

*Nobilissimo, Consultissimoque VIRO*

D. D. JOHANNI van MUYDEN, J. U. D. ejusdemque Facultatis in illustri Ultrajectinâ Academiâ antecessori ordinario, ad gradum doctoratus promotori suo dignissimo.

*In animi gravi ac honoris signum hæc  
Inaugurales Theses amicitus*

Offert & inscribit.

PETRUS LAMMENS.

Auth. & Resp.



## PROOEMIUM.

**P**ostquam ex recepto more pro Juris utriusque laureâ consequendâ ad disputandum animum appulsem, dubius diu hæsi, quamnam ex tantâ immensorum Juris voluminum copiâ materiam potissimum auspicerer: arripit, ob singularem utilitatem, nobilissima, De Societate materia, mihi itaque de hæc Juris parte disputaturo, hujus materiæ fundamenta & principia Academicæ ventilationi exhibere placuit, eamque operam uti exercitationi meæ haud ostentationi partam novi, ita æqui bonique consultum iri spero, non enim laureolam in mustaceo querere proposui; proinde non inconcinnum erit, ea, quæ plurimum ad propositæ materiæ scientiam pertinent, præmittere, & ne hinc illinc oberrare videamur, ad hæc pauca potissimum referam: in cujus exegeſi ut ordine igitur procedam, Societatis homonimiam præmittere debeo, mox definire, & dividere, deinde paucis annectere, qui possunt contrahere societatem, qui non possint, quâ formâ, seu modo, quis sit finis, quæ intentio contrahentium quomodo sibi invicem socii obligentur, quæ eo nomine detur actio, & quot tandem modis societas dissolvatur.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS

D E

SOCIETATE.

T H E S I S I.



St vero natura prior de vocabulis, quam de rebus quaestio *a*; quare necessario praemittendum erit, quam homonymum sit Societatis vocabulum, nam & ad uxorem & maritum pertinet *b*; ad eos quoque qui rem eandem *donationis* titulo ab Imperatore acceperunt *c*; ut ad locatorem & colonum partiarum *d*, similiter ad eos qui rem eandem in solidum emerunt *e*, illi quoque focii vocantur qui ad aliquod maleficium committendum conveniunt *f*, sicut & omnes qui propinquitate, cognatione, amicitia, vel familiaritate conjuncti sunt *g*, & qui in eodem sunt itinere *h*, sunt autem haec significationes impropriae & extra scopum nostrum.

*a*, arg. l. 1. ff. de rebus creditis. *b*, l. 4. Cod. de crim. expil. hered. l. 1. ff. de act. rer. amot. Malach. 2. v. 14. *c*, Ryb. & l. unica Cod. si lib. Imp. soc. fin. hered. d, l. 25. §. 6. locati. *e*, arg. l. 2. Cod. pro soc. l. 2. communi di. vid. f. l. 57. pro soc. l. 70. in fine de fidejus. Fesaiæ 1. v. 23. g, l. 22. Cod. de poenis. *h*, Actor. 19. v. 29.

I I.

Societatis vocabulum vel latè vel strictè in Jure sumitur; hic verò in strictiore significatione pro societate conventionali accipitur, ex quâ oritur obligatio & actio; sed quoniam, omnis quæ de aliquâ re instituitur disputatio debet à definitione proficisci, ut intelligatur quid sit de quo disputetur *a*, definiendum quoque erit quid sit Societas: *Societas est igitur, ut silentio præteream varias quæ passim apud D. D. occurrunt descriptiones & definitiones, Contractus nominatus, ulro citroque obligatorius, Jurisgentium, bone fidei, solo consensu constans, quo duo vel plures rem aliquam singularem, vel omnia sua bona opera sive conferunt & communicant ex honesta causâ, lucri percipiendi gratia.*

*a, ut docet Cicero, lib. I. de officiis.*

I I I.

Verum ut singulas definitionis partes explicem, & ex Jure demonstrem, primò probandum erit, quod *Societas sit Contractus*, & hoc facillè constabit, vel mediocriter in serie seu ordine tum Institutionum tum Pandectarum versato *a* in his enim refertur societas inter contractus, & quidem consensu constantes, explicante ita ordinem *Cujacio b*, imo disertè vocatur contractus *c*,

*a, §. ult. Inst. de oblig. junct. tit. de societ. & pr. Inst. de oblig. quæ ex delicto adde l. 17. ff. cum 2. seqq. b, paratit. ff. mandati. c, §. 2. Inst. de l. N. G. & C. l. 7. §. 1. de pact. add. l. 5. §. 2. commed. l. 23. de R. F.*

I V.

Quod autem *nominatus* sit contractus evincit allegata lex *a*, ubi proprium & speciale nomen ei tribuitur, ad differentiam contractuum innominatorum, speciale ejusmodi ex quo dignoscantur nomen non habentium, sed tantum civilem obligandi causam *b*, undè & actionem nomini contractus respondentem non producant, sed vel conditionem *c*, vel actionem præscriptis verbis *d*; cum tamen regulariter nominati contractus producant etiam actionem nomini suo respondentem.

*a, l. 7. §. 1. de pactis. b, d. l. 7. §. 1. & 2. c, l. 1. §. 4. derer. permus. l. 3. §. 2. de condi. caus. dat. caus. non sec. d, d. l. 7. §. 2. de pactis l. 5. §. 2. de præscr. verbis.*

## V.

Ultero citroque obligatorius vocatur *a*, quia sc. cum cæteris sibi similibus ex naturâ suâ utrimquè producat actiones *b*, seu mutua nascatur obligatio *c*, ad differentiam stipulationis, ubi ex naturâ contractus solus promissor obligatur, & mutui *d*, ubi solus accipiens *e*;

*a*, l. 19. de V. S. *b*, §. 2. Inst. de panâ remerè litig. *c*, pr. Inst. de auct. tut. *d*, pr. Inst. de V. ob. *e*, pr. Inst. de obl. quæ re contrah.

## VI.

Undè jam sequitur quod *Jurisgentium* sit, & bonæ fidei, nullus enim Juris civ. contractus est ultero citroque obligatorius nullus etiam bonæ fidei; quod verò *Jurisgentium* sit *societas* manifestè probatur ex diversis legibus *a*, quod bonæ fidei sit ex institutionibus palam est *b*, ubi quamvis mentio tantum actionis pro socio & cæterarum atque de iis prædicetur quod bonæ fidei sunt, tamen nil certius est, quam vel maximè id pertinere ad contractus ipsos, ex quibus oriuntur illæ actiones; absurdum namque foret si aliunde oriretur actio bonæ fidei quam ex contractu bonæ fidei *c*.

*a*, §. 2. inst. de F. N. G. & Civ. l. 7. §. 1. junctâ, l. 7. pr. de pactis. *b*, §. 28. inst. de act. *c*, l. 3. Cod. pro soc. l. 35, 38, 78. ff. eodem.

## VII.

Constat porro solo consensu *societas a*; sufficit enim ut substantiam capiat obligatio, eos qui societatem ineunt consentire, nullaque ad hoc scriptura ut in litterarum obligatione *b*, nulla præsentia ut in stipulatione *c*, nec dari quidquam opus est ut in contractibus re initis *d*, in illis enim ad perfectionem contractus rem intervenire & tradi oportet, quod in societate aliter se habet, simulatque enim consensum suum utrinque explicarint contrahentes, Jure perfectus est contractus ut de emptione quoque pronuntiatum *e*.

*a*, l. 19. ff. pro soc. l. 2. ff. de obl. & act. §. unico, inst. de oblig. quæ ex consens. *b*, §. unico, inst. de lit. obligat. *c*, §. 11. inst. de inut. stip. *d*, pr. & §§. seqq. infr. de oblig. quæ re cont. *e*, pr. inst. de empt. & venditione.

Nec destrucere hanc sententiam intelligenda est *a*; ubi *Modestinus* refert, & *re* & *verbis* contrahi societatem posse, cum *Cujacio* enim & Doctoribus communiter dico nullum alium esse hujus legis sensum, quam quod duobus modis societas possit contrahi, vel expresso sc. vel tacito consensu, *re*, id est tacito, *verbis*, id est expresso consensu; ita tamen me hæc intelligere nemo existimet, quasi in societate omnino res non desideretur, nullus enim est contractus in quo non res requiratur, quare de emptione dixit *Pomponius b*, quod nec emptio nec venditio *sine re*, quæ veniat, possit intelligi; & de societate nostra *Ulpianus, c* quod donationis causa societas non rectè contrahatur, veluti si alicui placuerit ut lucrum ex re suâ obveniens alteri sit commune, ut explicat phrasin eam *Gothofridus d*.

*a*, l. 4. ff. pro soc. *b*, in l. 8. ff. de contrah. emptione. *c*, in l. 5. §. fin. pro soc. d., in d. l. 5. §. finali.

## IX.

Probato jam quod *societas* sit contractus & qualis; sequitur ut videamus quomodo dividatur (nec enim ordini verborum definitionis præcisè alligari me sinam, suffecerit si singula suis locis explicentur) quare, missis illis, quæ instructam velut aciem disponunt, divisionibus, utpotè in eam quam ego solam dabo tanquam in centrum concurrentibus, in duas species societatem dispescam, *universalem sc. & particularem a*.

*a*, ex pr. inst. de soc. l. 5. l. 63. pr. ff. pro socio.

## X.

*Particularis* societas est unius alicujus rei, puta mancipiorum emendorum vendendorumve, item vini, olei, frumenti emendi vendendive *a*, sive alterius cujusvis negotiationis, veluti mensæ argentariæ *b*, vel vectigalium *c*, hujusmodi etiam est, si duo de hæreditate viventis obventurâ paciscantur *d*, item si duo fratres indivisam habeant parentum hæreditatem, communicantur ex tali societate ea tantum quæ ex illo negotio provenere, & quæ alter sociorum ex aliâ causâ quæsit, ad communionem non pertinent *e*; explorati namque Juris est, conventiones ul-

tra



## 8 DISPUTATIO JURIDICA

tra mentem & sententiam contrahentium operari non posse; quis verò diceret? eam in societate particulari fuisse contrahentium mentem; ut communia etiam forent aliunde obvenientia luca, ita sane nihil conventionem suam egisse videri possent contrahentes; sublata etiam esset distinctio hæc societatis, de qua explicandam ego jam frustra laborarem.

a, d. pr. instit. b, l. 52. §. 5. pro socio. c, l. 63. §. 8. eodem l. 3. Cod. pro socio. d, l. 3. §. 2. ff. eodem. e, arg. l. 39. §. 3. famil. ercisc. juncta l. 52. §. 5. & 6. pro socio, f, d. l. 52. §. 5. & 6. vin. ad. pr. inst. de soc.

## X I.

Universalis est, cum omnia utrinque bona conferuntur a, hæc duplici modo contrahitur, uno simpliciter b, altero specialiter c, inter utrumque magna est & evidens differentia, nam si simpliciter sit contracta, ea tantum fiunt communia quæ ex quaestu d, id est operam cujusque e descendunt, unde communis non fit hæreditas, nec legatum, nec donationes sive mortis sive non mortis causam factam f: si verò specialiter contracta sit hæc societas omnia omnino quæ quoque modo obvenierunt fiunt communia, sive ergo hæreditas, sive legatum sit, sive donationes communioni acquirentur, ut patet ex sensu legum g, ubi socius renunciabat socio, ut hæreditatem relictam solus lucrari faceret, sciebat enim durante societate communem futuram.

a, d. 1. inst. d. l. 5. l. 63. pro socio b, l. 7. eodem. c, l. 3. §. 1. eodem. d, d. l. 7. eodem. e, l. 8. eodem. f, l. 9. eodem. g, d. l. 3. §. 1. l. 73. eodem adde §. 4. instit. de societate.

## X I I.

Sive autem simpliciter sive specialiter contracta sit omnium bonorum societas, dubium meo Judicio non habet, quin omnia quæ utrinque conferuntur statim & ipso jure fiant communia etiam sine traditione, quia licet specialiter traditio non intervenerit, tacita tamen creditur intervenire a; excipiuntur nomina, seu obligationes, hæ enim in statu suo manent, ut puta naturam individuum & personam coherentes b: quod verò generaliter dixi, omnia utrinque collata statim fieri communia, id

id dictum tantum volo de presentibus, non de futuris, illa enim societatis Judicio dividenda sunt c.

a, l. 1. §. 1. l. 2. pro soc. & ibi Gothof. falli in hoc Bacchov. dicit vinnius, ad pr. inst. de soc. n. 4. cum Bacchov. tamen consentire videntur, gail. l. 1. 2. obs. 24. & Wiss. ad tit. infr. de soc. & tit. ff. pro soc. b, l. 3. pro soc. & ibi Gothof. donell. lib. 13. cap. 16. Bus. ad. d. l. 3. Wiss. ad. ff. ad. d. l. c. l. 73; & seqq. pro soc. gail. & vin. dd. ll.

XIII.

An vero, in societate omnium bonorum specialiter contractâ, sumptus in studia & honorem filii unius è sociis erogati communiter ferendi sunt, an ab illo solo in cujus filii gratiam facti erant, quærunt Interpretes, ego prius amplector a, ita quoque sentiunt communiter Dd. b: ita tamen si honestè, bonâ fide, & pro modo facultatum sumptus sint facti, ut addit rectè Vinnius c; ampliat hanc thesin struvius d. De dote filia unius è sociis præstanda similiter quæsitus, an ea ex communi danda, an verò soli patri idoneus cohæreat, quia omninò paternum est officium dotem pro suâ dare progenie e: ego iterum prius sequor, cum in speciali hujusmodi societate omnium bonorum, non attendatur unus plus lucretur an alter, unus plus impendat an alter, sed omnia æquâlance & communi onere ferantur f; deinde cum dos uni è sociis obveniens alteri sit communicanda g, quare non eodem modo filia unius dos è communione præstaretur, cum ferendus non sit qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contemnit h.

a, arg. l. 73. §. 1. pro soc. l. 52. §. ult. eod. l. 39. §. 3. famil. erc. add. l. 50. eodem. l. 1. §. 16. ff. de collationibus. b. Treutl. disput. 27. vol. 1. thes. 8. lit. H. & ibi Bacchov. Busius ad. l. 81. pro soc. n. 4. Wissemb. ad. ff. disput. 32. th. 24. c, ad pr. inst. de soc. num. 5. d, exercit. 22. th. 27. e, l. ult. Cod. de dot. promis. jur. Etâ l. 19. de ritu nupt. f, struv. loco cit. g, l. 66. pro socio. h, l. 1. §. 4. Cod. de caduc. toll. fact. l. 8. cap. 4. treutl. l. j. cit. ibiq. Bacch. Vinn. d. l. late Gothof. ad l. 81. pro socio.

XIV.

Consequens est ut videamus de personis, quæ contrahere, quæ non contrahere societatem possunt; & quidem de munero  
 B socio-

fociorum cautum non est, five ergo duo sunt *a*, five plures, *b* nil interest; unus autem solus quemadmodum nullum contractum celebrare, ita nec societatem inire potest, ratio enim Juris non patitur ut quis sibi ipsi obligetur, vel secum agat *c*: qui autem contrahere possunt, ut cum *Fcto*. loquar *d*, intelligemus, si sciverimus qui non possunt; quidam verò planè & in totum non possunt, quidam non cum effectu: plane & in totum prohibentur furiosi, mente enim carent *e*, nulla etiam est eorum voluntas *f*, imo nullum negotium rectè gerunt *g*, item infantes ejusdem namque conditionis sunt cujus furiosi *h*, ut & prodigi *i*, nisi interveniat curatoris auctoritas *k*, cum effectu non possunt pupilli & minores, nam quod pupillos attinet, illi ex contractibus ex quibus mutux nascuntur obligationes non tenentur *l*; quare nec in ita societate *m*, quamvis auctoritate tutoris interveniente omnia rectè gerant *n*, & obligentur *o*, minores autem sicut in aliis causis lubrico ætatis lapsu læsi restituuntur in integrum *p*, ita etiam si damnosam fortè societatem contraxerint *q*, possunt igitur quilibet inire societatem nisi aliter à Jure dispositum reperiat *r*, generaliter verò ab iis initur societas quicunque contrahere possunt & bonorum suorum administrationem habent.

*a*, §. 2. *inst. de soc.* *b*, §. 5. *codem l.* 67. & *passim pro soc.* *c*, *arg.* §. 32. *inst. de leg.* & *vinnius ibi passim.* *d*, *l.* 8. 2. *de accus.* *e*, §. 2. *inst. quib. non est perm. fac.* *f*, *l.* 40. *de R.* 1. *g*, *l.* 5. *codem.* *h*, *d. l.* 5. *i*, *d. l.* 40. *l.* 6. *de v. ob.* *k*, *l.* 7. *cod. profocio.* *l*, *prin. inst. de aut. tut.* *m*, *l.* 23. *ff pro soc.* *n*, *l.* 5. *d. R.* 1. *o*, *l.* 5. §. 1. 9. *de auct. tutorum.* *p*, §. 33. *inst. de act. l.* 7. §. 3. *in fine, de minor.* *q*, *arg. l.* 3. *in fine cod. de in integ. restit.* *r*, *l.* 5. *cod. de ob. & act.*

## X V.

Quomodo seu quâ formâ contrahatur societas nil refert, five ergo purè, five ad tempus, five ex tempore valida est *a*, de conditione dubitatum est, eo quod societas jus quodammodo fraternitatis in se habeat, *b* ut proinde certo animi Judicio contrahi bebeat, & ne in potestate focii sit an velit obligari nec ne, posset enim pendente conditione societati renunciare *c*, verum hæ rationes tanti ponderis non sunt, ut infirmant conditionalem societatem, cum vel maximè certo animi Judicio ni

ti debeant defunctorum voluntates, illæ autem licet conditiona-  
liter sint conceptæ, nihilominus valent *d*, & cum socius etiam  
purè contractâ societate pro arbitrio quando vult renunciare so-  
cio possit *e*, quo casu etiam in potestate ejus erit, an velit obli-  
gari nec ne; sed quid multis opus est, aperta est lex *f*, ubi &  
ratio additur; modo conditio adjecta non sit impossibilis, tunc  
enim proculdubio talis cogitatio est ut nilagi existiment, apposi-  
tâ tali conditione, contrahentes *g*.

*a*, l. 1. ff. pro socio. *b*, l. 63. ff. pro socio. *c*, Hillig. ad donell. 13. 15.  
*d*, §. 9. inst. de hered. inst. *e*, §. 4. inst. de soc. *f*, l. 1. pro soc. l.  
14. l. 75. eod. l. penult. Cod. pro socio. *g*, in l. 31. ff. de ob. et act.

## X V I.

Non autem prætermittendum est quod *Pomponium* dixisse  
*Ulpianus* refert *a*, quod non aliter valeat contracta societas, quam  
si in re licitâ & honestâ sit suscepta, nam si maleficii coita sit  
societas constat nullam societatem esse, ut si quidam monopolium  
instituerint *b*; unde quæ ex delicto, furto, latrociniiis, &c.  
sunt acquisita non conferuntur *d*; pulchrè in rem hanc *Seneca* *e*,  
dicit, pecuniam non dabo quam daturum te adulteræ sciam,  
ne in societate turpis facti aut consilii inveniar.

*a*, in l. 57. pro soc. *b*, *Wesemb.* ad. tit. pro soc. n. 5. *c*, l. 35. pro soc.  
*d*, de benef. 2. cap. 14.

## X V I I.

Jam videamus quis finis sit seu quæ intentio contrahentium;  
est verò lucri percipiendi & communicandi animus, non quasi  
damnum commune non foret, sed quia eâ mente contrahitur  
societas ut lucrum speretur, nullâ habitâ damni ratione; verum  
quia sæpe de facultatibus suis, amplius quam in iis est, sperant  
homines *a*, & damna fatalia lucris sint admixta *b*, de partibus  
lucris & damni obiter subjiciam: & vel nihil de iis inter socios  
convenit, eoque casu æquæ *c* id est æquales erunt *d*, conve-  
nienter Juris rationi quâ cavetur, ut si negotio nominatim por-  
tiō adjecta non sit dimidia semper intelligatur *e*, modo tamen  
æqualis utrinque collatio, ut notat *gothof.* *f*, id enim tacite  
actum videtur, & boni viri arbitrio est conveniens *g*: Si verò  
aliquid de partibus lucris & damni convenit rata ea conventio

habenda erit *b*, idque secundum aliam Juris definitionem, quâ dispositum est ut contractus legem ex conventionione controhentium accipiant *i*, ideoque si expressæ partes sint servari debent *k*, & quod in uno V. G. lucro expressum est etiam obtinet in damno *l*; nec enim unquam dubium fuit, quin valeat conventio, si duo inter se pacti sunt, ut ad unum quidem duæ partes & lucri & damni pertineant, ad alterum tertia *m*, quod tamen temperandum *n*, si ille qui meliore conditione frueretur plus etiam contulerit.

*a*, §. 3. *inst. quib. ex caus. manumit.* *b*, l. 5. §. 4. *commod. l. 52. §. 2. pro soc.* *c*, l. 29. *pr. pro soc.* *d*, §. 1. *inst. de soc.* *e*, l. 43. *de usufr. l. 164. §. 1. de v. s. f.* *f*, *ad d. l. 29. pr. et vin. ad §. 1. inst. grotius de i. b. et p. lib. 2. cap. 12. n. 24.* *g*, l. 6. l. 80. *pro soc.* *h*, §. primo *inst. d. r. i.* l. 1. §. 6. *depos. l. 23. de R. l. l. 52. de v. ob. nov. 136. cap. 1. in fin.* *k*, d. §. 1. *inst. l.* §. 3. *inst. eodem.* *m*, d. §. 1. *in fin. inst.* *n*, *ex l. 29. pr. pro soc.*

## XVIII.

De illâ sanè conventionione quæsitum, si *Titius* & *Sejus* inter se pacti sunt, ut ad *Titium* duæ partes lucri pertineant damni tertia, ad *Sejum* duæ partes damni lucri tertia, an rata debeat haberi conventio *a*, *Quintus Mucius* contra naturam societatis talem pactionem esse dicebat, ac prinde ratam non habendam; manifesta enim videbatur hic subesse inæqualitas, nec lucrum nisi deducto damno, nec damnum nisi deducto prius lucro intelligitur *b*, ut proinde frustrâ de partibus ejusmodi lucri & damni caveretur: verum obtinuit sententia *Servii*, ut valida sit habenda dicta conventio *c*; ille verò dabat inæqualitatis hanc rationem; quia sæpe quorundam ita pretiosa est opera, ut æquum sit meliore eos conditione frui *d*, alteram vero dubitandi rationem ita removebat: ut, si in aliâ re lucrum, in aliâ damnum sit illatum compensatione facta id quod super est lucrum vel damnum intelligatur *e*: exemplo rem demonstrare lubet? *Mævius* & *Sempronius* animo societatis diversas exercent negotiationes, cautumque est ut *Mævius* duas partes lucri, tertiam damni, *Sempronius* duas partes damni, lucri tertiam ferret, datum verò damnum in unâ negotiatione erat 60. florenorum, in alterâ lucrum 120, compensato jam lucro & damno restabunt 60. lu-

lucris, ex quibus *Mævius* 40. *Sempronius* 20. habebit: vel converso casu, lucrum erat 60, damnum 120. florenorum, compensato iterum lucro & damno, restabunt 60. damni, ex quibus 40. *Sempronius*, 20. *Mævius* ferret ob datam à *Servio* rationem, ita fere *Bacchov. ad Treutl. f. vinnius g*, mores quoque pactionem hujusmodi non improbant *h*.

*a*, §. 2. *inst. de soc.* *b*, l. 30. *pro socio.* *c*, d. §. 2. *in medio.* *d*, d. §. 2. *e*, d. §. 2. *in fine.* *f*, *Volum: disput. 27. tit. 9. litt. B. g*, ad §. 2. *inst. in fine.* *h*, *Wesemb. ad tit. pro soc. n. 7.*

## X I X.

Talis quoque in societate pactio benignè est recepta, ut unus pecuniam conferat alter non conferat & tamen lucrum sit commune *a*, ob præstantiam sc. & pretium operarum, possunt ergò ab unâ parte operæ, ab alterâ pecunia conferri *b*, unde nata est quæ inter Doctores ventilatur quæstio, an eo casu etiam fiat communis pecunia, ut finitâ societate inter socios æqualiter sit dividenda, an verò ad eum qui contulit tota revertatur, *D. D. Gail c* dicit, posterius omni pugnâ & controversiâ carere, nisi aliter inter socios convenerit, sicque stat mea sententia, nec enim præsumendum est eam fuisse in tali societate contrahentium sententiam ut communicaretur pecunia, sed ut ex collatione pecuniæ operarum exercitio fælicius procedat *d*.

*a*, d. §. 2. *inst. de soc.* *b*, l. 1. *Cod. pro socio l. 5. §. 1. ff. eodem*, *Grotius loc. citat.* *c*, *lib. 2. obs. 24.* *d*, *Fach. 2. 94. bacch. ad treutl. l. a. cit. litt. A.*

## X X.

Unde jam tanquam ex fundamento deducitur, quod si pecunia constante societate perierit, ejus solius detrimentum sit, qui eam contulit *a*; Juxta Jus commune *b*; non placet *Vinnii* ex *Grotio* desumpta distinctio *c*, nec *Doctorum*, quos refellit *fachinens d*, imò ne pacisci quidem potest is qui pecuniam contulit ut sortem salvam habeat, posset enim ità duplici damno affici is qui operas contulit, & fortis & operarum, quod contra naturam societatis foret, quare tanquam leonina improbata est hujusmodi conventio, ut ait *Gail e*, illud autem conveniri cum effectu posse constat, ut quis lucris partem ferat de damno

non teneatur *f*; videtur quidem contra naturam societatis, potest tamen ita conveniri sine injuriâ, fiet autem mixtus contractus ex societate & ex contractu averfi periculi, in quo ita servabitur æqualitas, si tanto plus lucri ferat quam aliòquin laturus fuerat qui in se damnum recepit, verba sunt *Grotii g*, quæ sua facit *Vinnius h*; talis verò pactio communibus *J.C.orum* & Interpretum votis damnata est & exulare iussa, ut alter solus lucrum alter solus damnum sentiat, ita enim naturalis est societati utilitatum communio, ut sine ea nequeat societas consistere, ut iterum *Grotius & Vinnius i*, quare hujusmodi conventionem captiosam & indignam vocat *Cicero teste Connan. k* & *Cassius leoninam societatem teste Ulpiano l*, ex fabulâ illâ *Æsopi*, in quâ Leo, Asinus, & Vulpes societatem talem inivisse dicuntur, ut captam in venatu prædam ex æquo communicarent, & dividerent; quamvis ad hanc rem magis appositè narrat *Phædrus m*; dicit enim leonem omnes partes sibi sumpsisse, cum tamen juxta *Æsopum* vulpes aliquam adhuc lucri portionem ferret, quod pactioni huic societatis non est conveniens, unus enim solus lucrum perciperet, alter solus damnum *n*.

*a*, *Bacch. ad treut. d. l. b, l. 9. Cod. de pign. act. add. l. 58. §. 1. pro soc. c. lib. 2. de I. B. & P. cap. 12 n. 24. Vinn. ad d. §. 2. de soc. circa fin. d, d. l. cap. 95. e, lib. 2. obs. 24. n. 2. 3. f, alleg. ant. §. 2. in ff. g, d. l. h, ad. d. §. secundum. i, dd. ll. k, *Connan. 7. 13. n. 4. l, in l. 29. §. 2. ff. pro soc. m, lib. 1. fab. 5. n, d. l. 29. §. 2. ff. pro soc.**

## X X I.

Sequitur ut dicemus quomodo Socii sibi invicem obligentur, quoniam verò societas sit contractus consensu constans, & bonæ fidei, alter alteri obligatur in id quod alterum alteri ex æquo & bono præstare oportet *a*, itaque præstabit socius socio usuras ex morâ *b*, vel ex pacto *c*, quale est illud, si quid invicem socium socio præstare oportet eo compensato in reliquum alter condemnatur *d*; inerant namque compensationes ipso Jure bonæ fidei Judicii, quamvis postea quoque *Justinianus* transtuleret hoc ad stricti Juris Judicia *e*. Jure autem societatis socius ære alieno ab altero contracto non obligatur *f*; sive id intelligas de ære alieno antè inchoatam societatem *g*, sive de ære alic-

Extra causam societatis contracto *h*, & quod unus è sociis proprio nomine facit non venit in rationem societatis *i*, de illo autem quæsitum, si duo pluresve focii simul contrahant, aliofque sibi obligent, (V. G. si vendant rem communem;) vel ipsis obligentur, an alios quisque in solidum obligent, & ipsis in solidum obligentur, an pro eâ tantum parte quâ quis socius est: communis D. D. sententia est, quod quilibet pro eâ tantum parte, quam in societate habet, acquirat actionem, & obligetur, nisi expressè aliàs convenerit, teste *Siruv. k*. De illo dubitatum an eo nomine socius socio teneatur tantum, si quid dolo commiserit, sicut is qui deponi apud se passus est *l*; an etiam culpæ id est desidia atque negligentia nomine, prævaluit etiam culpæ teneri focium *m*; culpa verò non ad exactissimam diligentiam dirigenda est, sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem quis suis rebus, id est, culpam levem *n*; est enim societas ex eorum contractuum numero in quibus utriusque versatur utilitas *o*.

*a*, §. unico, in fine inst. de oblig. qua ex consensu §. 30. inst. de act. b, l. 1. §. 1. ff. de usur. juncta l. 17. §. 4. l. 32. §. 2. cod. c, l. 5. Cod. de pact. intr. empt. & Vend. l. 4. Cod. de usuris. d, d. §. 30. inst. de act. e, d. §. 30. in fine, f, l. 82. pro socio, g, l. 27. ff. eodem. h, d. l. 82. in fine, l. 12. eodem, Wissemb. ad ff. disput. 32. th. 26. & ibi alleg. i, Fab. in Cod. suo ad tit. Cod. pro socio, def. 1. *Siruv.* ad ff. exercit. 22. th. ult. k, d. l. th. penult. & antep. arg. l. 4. ff. de exercit. act. 1, §. 3. inst. de oblig. que re contrah. m, §. ult. inst. de soc. n, arg. l. 52. §. 2. & 3. l. 72. pro soc. l. 23. de R. I. o, l. 5. §. 2. commod. ita quoque *Vin.* ad §. ult. de soc.

## X X I I.

Ad consequendum id in quod socius socio obligatur comparata est actio pro socio, quæ est, actio personalis *a*, rei persecutoria *b*, bonæ fidei *c*, utrinque directa *d*, quæ datur socio adversus socium variis ex causis V. G. ut fructus, quos alter solus percepit, communicentur *e*, vel sumptus quos alter fecit pro rata ei refundantur *f*; item si socius rem communem dolo malo amovit vel animo celandi contrectavit *g*, aliudve damnum dedit *h*, & si quæ similia sunt, velut ut pactiones serventur *i*, id quod interest præstetur *k*: hæc omnia durante societate petuntur, alia enim



enim sunt, quæ finitâ societate perfequimur, veluti ut rationes reddantur, & res collatæ iterum dividantur, quamvis hoc potius Judicio communi dividendo relinquendum est *l*.

a, §. 1. *inst. de act.* b, §. 17. *cod. l. 50. pro soc.* c, l. 28. d. tit. l. 45. l. 79. *pro soc.* d, §. 2. *inst. de penâ tem. litig.* e, l. 73. *pro soc. l. 38. §. 1. eodem.* f, l. 52. §. 4. & 12. d. l. 38. §. 1. *pro socio.* g, l. 45. *eodem.* h, l. 47. §. 1. l. 48. l. 39. l. 52. §. 2. 3. & 11. *eodem.* i, l. 52. §. 5. l. 69. l. 17. ff. *pro soc.* k, l. 47. *pr. Wesemb. ad tit. pro soc. n. 12. Struv. exercitatio 22. th. 37. & seqq.* l, l. 1. *comm. div. Struv. & Wesemb. dd. ll.*

## X X I I I.

Sunt autem actiones ex quibus solidum non consequimur *a*, dato scilicet reo in speciebus ibi relatis beneficio competentia ut condemnetur in id quod facere potest, id est, quatenus facultates ejus patiuntur *b*; intrâ earum quoque numerum est actio pro socio *c*, si instituatur adversus socium ex causâ societatis, contra enim extraneum si agatur beneficio locus non est *d*, uti nec si contrâ socium extrâ societatis causam *e*; quamvis autem *Ulpianus* *f* tribuere tantum beneficium hoc videatur socio omnium bonorum, tamen credendum non est illud socio particulari denegari; idem enim *Ulpianus* optimus verborum suorum interpret *g* dicit: verum est, quod *Sabino* videtur, etiamsi non universonum bonorum socii sint tamen in id quod facere possunt condemnari oportere, hoc enim summam rationem habet, nec præsumendum est eundem ipsum sibi contradicturum, quamvis & dici possit *Ulpianum* cum scriberet quod in lege posteriori *h* habetur, oblitum fuisse quod antea in lege priori dixerat *i*; nam omnium habere memoriam divinitatis magis est quam humanitatis *k*.

a, §. 36. *inst. & seqq. de act.* b, §. 37. *inst. eodem.* c, §. 38. *inst. d. tit.* d, d. §. 38. *inst.* e, *Wesemb. ad ff. hic.* f, in l. 16. *de re judic.* g, in l. 63. *pro soc.* h, l. 16. *de re jud.* i, in l. 63. *pro socio.* k, l. 2. §. 4. *Cod. de V. I. enucl.*

## X X I V.

Quoniam verò res divinæ perfectissimæ quidem sunt, in humani verò juris conditione nihil sit quod stare perpetuo possit *a*; mirum quoque non est quod nacta sit societas proprios finiendi & de-

& definendi modos; de quibus jam paucis subjungam, & ordinis gratiâ cum Jcto. *b* in quatuor separabo partes; sc. quod vel obveniant ratione *personarum*, *earumque voluntate*, *vel ex rebus*, *vel ex actionibus*.

*a*, l. 2. §. 18. Cod. de V. I. enucl. *b*, in l. 63. §. ult. pro socio.

XXV.

Ratione ergò *personarum*, duobus modis finitur, morte *naturali & civili*; sed quia homini cuique cursus unus vitæ ab *Opifice* datus est, cujus finis omnino mors *a*, à morte *naturali* tanquam principali incipiam, morte igitur solvitur societas *b*, quia qui societatem contrahit certam sibi personam eligit, & ejus industriam *c*, hæres autem fortè non foret tam industrius quam fuerat defunctus, unde damno socius afficeretur, alia etiam obstat Juris ratio, nemo enim socius esse cogitur ejus cujus esse non vult *d*, & perpetua communitio discordiarum mater est *e*; ita tamen hoc obtinet, ut licet plures sint focii, tamen morte unius finiatur societas, nisi alias convenerit *f*, pacto quoque effici non potest ut morte non solvatur societas *g*, quamvis aliud obtineat in societatibus publicanorum *h*, est autem hic modus societati & mandato *i* proprius, cum alioqui contrahendo nobis non tantum sed & hæredibus nostris prospiciamus *k*: morte etiam *civili* finitur societas, seu capitis diminutione *l*, quâ homines non minus quam morte intereunt *m*; capitis autem diminutio accipienda est maxima & media *n*, illam enim passî pro mortuis habentur *o*.

*a*, l. ult. Cod. de episc. & cleric. *b*, d. l. 63. §. ult. l. 65. §. 9. l. 40. ff. pro soc. §. 5. inst. eod. *c*, d. §. 5. instit. d. l. 65. §. 11. pro. soc. *e*, l. 77. §. 20. ff. de legat. 2. *f*, §. 5. inst. in fine l. 65. §. 9. pro. soc. *g*, l. 35. §. 59. eodem. *h*, d. l. 59. l. 63. §. 8. i, §. 10. inst. mand. *k*, l. 9. de prob. l. 37. de acquir. hæred. l. 62. de R. I. vinn. ad. d. §. 5. l. 4. §. 1. pro. soc. *m*, d. l. 63. §. ult. *n*, d. l. 63. §. ult. *o*, l. 1. §. penult. cont. tabell. l. 29. §. 5. de lib. & posth. l. 4. §. 2. de bon. lib. vin. ad. d. §. 2.

XXVI.

Ratione *voluntaris* etiam duobus modis extinguitur societas, & quidem *primò*, *mutuo consensu*; omnes enim quæ consensu contrahuntur obligationes contrariâ voluntate dissolvuntur *a*, dummodo res sit integra *b*, nil enim tam naturale est, quam

eo genere quid dissolvi quo colligatum est *c*: *secundo renunciatio* *c*, modo non sit intempestiva *d*, vel callida, ut si ideo quis renunciaret societati ut obveniens aliquod lucrum solus haberet, veluti si totorum bonorum socius, cum ab aliquo heres esset institutus, ideo renunciaret ut hereditatem solus lucrifaceret, ille enim cogitur lucrum illud communicare *e*, si verò aliud quid lucraretur quod non captaverat id ei soli conceditur, quemadmodum & hoc quod ei cui renunciatum est post renunciationem accesserit soli conceditur, quo spectat illud *Cassii f*, eum qui renunciavit societati à se quidem liberare socios suos, se vero ab illis non liberari: potest verò renunciatio fieri procuratori & per procuratorem *g*, quamvis autem conditio adjecta societati sit, ne intra certum tempus abeat, tamen valida est renunciatio *h*; est quoque hic modus societati & mandato *i* proprius, cum alias à contractu invito altero resilire non liceat. *k*

*a*, §. ult. inst. quib. mod. toll. oblig. b, l. 6. §. 7. de pact. l. 58. eod. l. 1. 2. cod. quand. lic. ab. empr. l. 5. §. 1. ff. de rescind. vend. c. l. 35. de R. J. l. 80. de solut. d, d. l. 63. §. ult. l. 65. §. 7. eod. §. 4. inst. de soc. e, d. l. 65. §. 5. eod. f, d. §. 4. inst. g, in l. 63. §. 5. pro soc. h, d. l. 65. §. 7. & 8. i, l. 14. eodem. k, §. 11. inst. mand. l. 1. §. 5. Cod. de obl. & act.

## XXVII.

*Ratione rerum* solvitur societas, cum aut nullæ res relinquuntur, qui modus propriè egestas vocatur *a*, aut si res conditionem mutaverit *b*, quod sic intelligo vel si sint publicatæ *c*, tunc enim fiscus sit earum dominus *d*, vel si à socio mole debiti prægravato cessio creditoribus facta sit *e*, tunc enim creditores post distractionem domini efficiuntur *f*, & huc spectat argumentum *FCri* in verbis legis *g*, sc. *ejus rei que jam nulla sit nemo socius est*: cum enim societas contrahatur bonorum in communione querendorum causa non magis sublati bonis societati locus esse potest quam sublatâ personâ socii ut ait *Vinnius. h*

*a*, l. 4. §. 1. pro soc. b, d. l. 63. §. ult. c, d. l. 65. §. 12. §. 7. inst. de societate. d, l. 1. de bon. damn. d. §. 7. inst. & ibi vim. e, §. 8. inst. eodem. f, l. 65. §. 1. d. tit. l. 4. Cod. q. b. c. pos. g, in d. l. 63. §. ult. h, ad d. §. 8. inst. de soc.


*A*ctione distrabitur societas, cum aut stipulatione aut Judicio sit mutata societatis causa *a*; uno verbo: interveniente novatione *b*, vel si socii separatim agere ceperunt, & unusquisque sibi negotietur, tunc enim sine dubio societas solvitur. *c*.

*a*, d. l. 63. §. ult. *b*, Vinn. ad d. §. 8. & Gothofr. ad l. 65. pro soc. c. l. 64. ff. pro soc.

XXIX.

Sed ecce præter quatuor hosce relatos *a* finiendi modos, incidit & alius, qui provenit ex formâ contractus, si enim ad certum tempus contracta sit societas, finito tempore dirimitur *b*; deinde si super re aliquâ & negotio singulari coita sit societas, finito illo negotio finitur etiam contractus *c*; Hic verò modus omnibus aliis contractibus & negotiis quibusvis cum societate est communis, huic etiam disputationi mex.

*a*, in d. l. 63. §. ult. *b*, l. 65. §. 6. pro soc. c. §. 6. inst. de soc. d. l. 65. §. 10.



# COROLLARIA.

I.  
**S**unt qui dixerunt Transactionem non posse rescindi propter lesionem ultra dimidiam, ego eorum tamen sententiae adhaereo, qui docent transactionem rescindi posse ex immodicâ lesione, quam inter omnes convenit esse eam, ex quâ ultra dimidiam quis leditur.

I I.  
Venditor rem venditam tradere præcisè non tenetur, quamvis tradendi facultatem habeat, sed liberatur, si id quod emptoris interest, persolvat.

I I I.  
Cum pro mercede pecunia non datur, sed aliud quippiam, locatio non est, sed alius contractus.

I V.  
Adversus rem judicatam, propter instrumenta noviter reperta, etiamsi quis ex Justa & probabili ignorantia, ea non produxerit, restitutio non datur.

F I N I S.